
GAUDEO





53

M

REGIA PRUDENTIÆ FUNEBRE ENCOMIUM MARIÆ AMALIÆ SAXONIÆ, PRIMUM NEAPOLIS, DEIN HISPANIARUM INDIARUMQUE CATHOLICÆ REGINÆ.

HABITUM IN TEMPLO MAXIMO MEXICANO, A

D. JOSEPHO XAVERIO BECERRA, & MORENO utriusque juris Doct. & in Cæsareo, Regiæ, ac Pontifi. Universitatis Mexiceæ Decano, Decreti Cathedræ Moderatore: Regalis Chancellariæ, & ad Fidei Tribunal causarum Patrono: in eodem pro Episcopatibus Nicaraguensi, & Guadalaxarensi, atque pro Episcopatibus Goathemalensi, & Mexicanensi Ordinario Judice: olim Reg. & Insignis Collegiatæ STÆ. MARIÆ DE GUADALUPE Doctorali: nuncque Metropolitanæ Mexicanensis Eccles. Canonico ejusdemque Archiepiscopatus Examin. Synod. & Judice Prov. ac Vicario Grali.

W





CQUIDNAM Conſilij fuit Princeps Excme. Ampliſſimique Senatores, ut ad proclamandum in acerbiſſimo Regio Funere, ad perorandum in maxima totius Regni, ne dicam Orbis, inteſtina calamitate: ad deplorandum Chariſſimæ REGINÆ, potiùs dixerim, communis Parentis ineluctabile fatum: ad illius interitum meritiſſimè illuſtrandum: ad emolliendos, flectendosque commiſeratione animos, ut mæſtam, dilectiſſimi CAROLI noſtri, vicem, doleant: quaſi ê foro, aut trivijs ereptum hominem, nulla dicendi facultate præditum, nullo Sententiarum pondere inſtructum, nulla verborum vi, nulla arte, ingeniovè expolitum, præfigeretis pro roſtris?

Siccinè gratiſſima pectora, immenſa propè accepta Domino rependunt beneficia? Siccinè fidiſſima Corda amantiſſimo Patriæ, Ci-

viumque Parenti, adeò debita pietatis officia tribuunt? Siccinè AUGUSTISSIMÆ DOMINÆ supremis vocibus conclamatur? Siccinè Libitinæ munia, justaque illi persolvuntur? Est quidem cuncto humano generi â natura tributum, ut inter alia, quibus cæteris præstat animantibus, eloquio fruatur, ut in communem societatem, civili vita degentes homines, alternis fortunæ vicibus, se se mutuò levent. Ipsi autem homines versatilem eloquentiam, boni, malique administram compararunt, ut in rebus prosperis, panegyri, ac laude blandirentur, in adversis autem juvarentur solatio. Numerosam subinde Poessim excultam, perpolitamque coluerunt: ut ligato Sermonis concentu, vehementiùs animi pathemata commoventes, in natalibus gratularentur nænijs: in funeribus verò monodijs solarentur. Vos metipsi Sapientissimi Domini macie confecti sordidis vestibus, Syrmatibus, ac lugubribus, mærorem profundentes, gelidos insuper lapides, dura marmora, mutas tabulas, non tantùm mæstissimis induta coloribus, tacitis vermiculatorum emblematum signis, quodammodo ululare, sentire compati: quin etiam emortuis saltem vocibus, inscriptis, videlicet Epytaphijs, qui non valuistis cantatis Epycedijs,
igni-

ignitis facium, clamosis tympanorum linguis, hujus frequentissimi omnium Ordinum consessus hominum animos dolore frangere, commovere; & ad deliquium usque voluistis excitare.

Eccùr igitùr unum Oratorem cladis exitij præconem, declamatorem funerum rudem elinguem, ac penè mutum, è gravissimo eloquentissimorum hominum cætu præripuistis? An fortè vos cordatissima semper, præ doloris magnitudine, vestra de me quandoque fefellit opinio? (A) An verò, sicut quondam mutum filium, minitans paterna clades, præ angustia cordis in voces fecit erumpere: ita me infandum communis Parentis fatum, eloquentem, elegantem, dissertum efficere posse credidistis? An autem horrendum immane lethum non verbis commendandum; sed gemitibus miserendum: non Sententijs illustrandum; sed ejulatibus condolendum: neque extollendum vocibus; sed lacrymis ponderandum: idcircò aptiorem me, quam maximis recentèr affectum beneficijs, planctu, atque suspirijs Parentationem, præ quibusque alijs eloquio, elegantiaque nitentibus educturum esse judicavistis? An demum regalium funerum inferias tacito mærore, atque tristitia silentibus solum, quæ Cada-

vera

(A) *Cressi filius.* Aul. Gel. lib. 5. cap. 9.

vera referant ſimulacris celebrandas: & inter hujus gratitudinis magnifici Monumenti dolentes effigies, Oratorem etiam velut Harpocratis ſilentium indicentis collocandum eſſe cenſuiſtis?

Minimè id verò gentium Auditores: non enim hij ſunt viri ſapientiſſimi, qui aut conſilio falli, aut opinione decipi, aut ratione valeant circunſcribi, vel humanitatis officia omnium peræquè gentium votis comprobata invertere, aliovè trajicere viderentur. Illorum Setentiam capio: vota intelligo: induſtriam teneo: percipio tandem, quo ipſorum rectâ collimet intentio. Equidem ſcio, neminemque veſtrum arbitror ignorare, luctuoſum pariter, ac magificum, noſtræ Parentationis argumentum, neque verborum fuco, neque Sermonum phaleris: neque ullo alio Rethorices quaſi ê ſcplaciæ foro arceſſito pigmento, ad commiſerationem excitandam, doloremque egère commovendum. Ipſa ſanè per ſe rei magnitudo, & dignitas tantam vim exerit Orationi, ut impexa, licet inculta, atque indiſcriminata audientium omnium mentes, ac præcordia, ut ut ſaxea, ut ut ferrea in lacrymas, ac ſuſpiria tenerrimè faciat colliqueſcere. Quod ſi ultra fatum mortis vita, mores, virtutesque, quod

ad

ad munus declamantis in funere maximè pertinere opinor referantur: certè quantum nobis CAROLOque nostrò felicitatis detrahi, tantùm solatij ijsdem, tantùmque emortuæ REGINÆ laudis, & encomij adjici videatur.

Quare agite Auditores unaque mecum illa percurrite, dicenda, intentis animis auscultate, dictaque vestris mentibus sedulò volutate. Nescio, quo misero, funestoque fato, proximis hisce temporibus, infensa nimis HISPANIÆ mors, cum in medio armorum strepitu, totam ferè Europam miserè grassantium, otio, concordiaque devoti, suavissimè essemus consopiti, egerrimè nobis lenissimam abstulit BARBARAM LUSITANAM: amarè luximus, largè flevimus. Non dum tamen siccis oculis; sed adhuc recenti lacrymarum imbre madentibus genis, abstulit FERDINANDUM CONJUGEM pacatissimum REGEM sanè omnium literis, ac Monumentis decorandum. Supererat nobis solatium unum in adventu Invicti CAROLI fratris Consanguinei, Conjugisque pulcherrimæ, qui ambò jam diù Trinacriæ dolos, Syrenisque illecebras, gloriosissimè moderabantur.

Resignata illis ferali morte, qui priùs literas largo fletu obliterarunt, deinde nulla fa-

cta mora rebus difficilimis mirabili ductu compositis, relictoque inibi Charissimo filio FERDINANDO, qui Regni teneret habenas, illicò ire Hispaniam pergunt: neque illos vis hyemis jam jam incuntis, neque longitudo itineris, nec freti dificultas, neque asperitas viarum, neque alterutrius Conjugis morbus retardavit, quo minus si quam opem, solatiumvè nobis, Regnoque aferre possent, vel cum proprio vitæ periculo experirentur.

Exeunt Parthenope Regiæ Classis Principem, conscèndunt Navim; solvunt, procellosum Mediterraneum transfretant, & exactis novem diebus Barcinonem Hispaniæ, Tarraconensis Caput felicissimè appellunt. Continuò, vix triduo refecti, regio comitatu Curribus, ac Rhedis Matritum petunt: accedunt, magua omnium hominum frequentia, mira gestientium animorum lætitia, incredibilique Populorum plaudentium jubilatione excipiuntur.

Ingrediuntur Curiam, subeunt Regiam, invisuntur à Proceribus, salutantur à Primoribus, & Regni jura summo omnium Ordinum plausu, ac jucunditate de more solemniter illis addicuntur. Sed væ humanæ felicitatis extimescenda conditio! Vix, ac ne vix quidem egregiæ indolis nobilissimique Consortij officia de-

deguſtaveramus; cum ecce in ipſo ſolemnitatis veſtibulo, in confinio exultationis extremum gaudij ubi offenditur luctus.

FORMOSA CAROLI CONJUX jam diù ſubdolè languebat. Ex qua die, equo fallerato, cui egregiè inſidebat cecidiſſe fertur. Tunc verò dificultate viarum, aëris Cœlivè immutatione proditur morbus, ingraveſcit, jacet in lecto languens, vires nervique deficiunt, tabeſcunt membra, & magnis cruciata doloribus, ſumpta demum Sacra Exhomologeſi Pontificia benedictione munita, alijsque refecta Sacramentis, ſereno fronte, in media luctus Aulæ tempeſtate, mortisque diræ anguſtijs animam libentiſſimè Deo tradidit.

At quæ verò CAROLI CONJUX? Forſitam, quod dicturus ſum, mirabile auditu videatur: ſed certè id dicam, quod ſentio: MARIA AMALIA SAXONIA, FRIDERICI AUGUSTI SECUNDI Poloniæ REGIS, Saxoniæ DUCIS, Sacri Romani Imperij Electoris FILIA: Primum Neapolis, deinde Hiſpaniarum, & Indiarum REGINA, ſemper AUGUSTA: MARIA AMALIA inſignis genere, pulchra facie, inceſſu gravis, cultu elegans; MARIA AMALIA, prudentia ſolers, conſilio provida, pietate religioſa, religione

pia, Fide pura, Spe firmâ, Charitâte flagrans, animo conſtans, voluntate miſericors: MARIA AMALIA Saxoniæ decus, ornamentum Neapolis, delitium, amoresque Hiſpaniæ, Americæ noſtræ tutiſſima ſpes: MARIA AMALIA, chara Deo, grata CAROLO, nobisque omnibus luctu lugenda ſempiterno.

Et nos, qui tantam, tamque gravem jacturam fecimus, non commorimur? Et nos, qui Cœlo dignam amiſſimus REGINAM, non ſumus cum illa conſepulti? Et nos anima ſpiramus, cum ipſa expiravit anima? Et nos inter vivos degimus, cum ipſa ê vivis eſt ſublata? Proh Deum immortalem! Vix arcana divinæ veneratus providentiæ, tempero, quin probris, convitijsque invehar in mortem: quin illam contumelijs onerem: de impietate, atque crudelitate appellem. Si enim proſperitatem noſtram, ſi ſortem, ſi beatam vicem, cur non etiam invidit vitam? Ut illam planctu, mæroreque immerſam vivamus difficilem? Ut doloris tædio affecti noſmetipſi mortem perquiramus libentèr? Ut angore, mæſtitiaque oppreſſi, emoriamur prolixiùs? Ut vitam finiamus paulatim? Fallimur Auditores, fallimur: etenim ſi piè, ut par eſt, catholicèque rem perpendamus, neque AMALIA noſtra

chariſ-

charissima vitam cum morte; sed cum meliori vita: nec nos lætitiam cum luctu, sed cum nobiliori gaudio commutavimus. Defuncta est AMALIA diem, diem verò, qui & illi mortalitatis, omniumque ærumnarum atulit finem, simulque initium, liceat ita dicere, immortalitatis, ac gloriæ: & nobis tantam, ut ita dicam, parere potuit jucunditatem; quantam me verbis consequi posse merito diffidam. Abulsa est GAROLO; sed desponsata Deo: erepta Regno; sed illata Cœlo: ablata nobis; sed sociata Cœlitibus. Et erit quisquam, per vestram fidem Auditores adeò rerum iniquus æstimator, qui non mærorem in jubilum tristitiam in gaudium, & planctum mira methamorphosi non vertat in risum? Absit absit.

Nec me pro arbitratu præcipitem censuisse opinabitur ullus, si sedulò animadverterit, virtutes omnes Regiam, Soliumque in animo AMALIÆ locavisse. Sedeamus Auditores ad calculos, remque ab origine repetamus: & propè dixero, suam ab Angelis hausisse AMALIAM; neque verò id magnificè potiùs, quam verè dixisse videar: ANGELA quippè SAXONA illustris (si fides est antiquitati præstanda) (B) Britania superata unius

 lite-

(B) Calep. v. Anglia.

literæ diſcrimine, ANGLIS nòmen, & genus AMALIÆ dediſſe fertur. Quod ſi majorum virtutes, ex utraque ſtirpe Saxoniæ, nempè, & Auſtriacæ, ſi heroès, qui maximis dotibus, ſibi nomina fecerunt, Catholici, Pij, Magnanimi, Sapientis, & id genus alia perpendamus: non ſolum ab Angela; ſed ab Angelis ortum duxiſſe dicemus. Si verò ſpeciem Corporis, majeſtatem Oris, decorem vultus, quæ mentis Simulacrum eſſe teſtatur Ambroſius, attentè demiremur, non humani cujuſdam ſpiritus; ſed cœleſtis intelligentiæ habitaculum fuiſſe arbitrabimur.

Fuit profectò formoſa nimis: ore abſque omni fuco, & ceruſa, Corpore abſque mundo muliebri, & Ornamento præſtans inceſſu abſque fæmineo gradu majeſtatem præſeferens, ac decorem: uſu, & conſuetudine jucunda, cum REGIO CONJUGE individua, cum filijs tenera, cum neceſſarijs mitis, cum ſubditis lenis cum exteris ſuavis, & amabilis omnibus. Sed' quorſum hæc? (c) *Non né fallax gratia, vana eſt pulchritudo, mulier timens Deum ipſa laudabitur?* Ipſa ergo laudabitur AMALIA, quæ cum penè ab infantia nihili duceret omnem cultum, flocci penderet Ornamenta, acus, aci-
culas

(C) Proverb. 31.

culas inaures, monilia, gemmas, margaritas, bombicinas veſtes ſericas auro, argentoque inter textas, aliaque hujus generis contempſerit muliebria: neque ſpecula niſi ad animi ſui ornatum, Regnique conſuleret, Cuſtodias, ducens ſibi Regis filiæ gloriam, non niſi ab intus eſſe petendam, (D) nec nos in his multum immorari ſapientiſſimè docuit.

Sed altiora petere animi Regiam penitùs introſpicere, penitiora rimari ubi nobiliorem virtutum ſupellectilem demiremur. Id verò, quod primum ſe ſe mentis oculis offert ſumma eſt, ac penè divina Prudentia Regalis virtus, aliarumque virtutum facilè Princeps, quæ ſibi primam ſedem in animo fixit AMALIÆ, ut inde non ſolùm mores, & facta; ſed maximè, quaſi prognatas omnes moderaretur virtutes. Ex quo AMALIA in omnibus vitæ partibus frugi, temperata Officij plena, plena pietatis, plena miſericordiæ extiterit, ac religionis.

Quare, regio prout decebat, tantùm indulgens ſplendori, faſtoſum ſemper abhorruit luxum: una pro tota prole, eaque frugali contenta menſa, epulas immodicas, & commeſſationes exterminavit à Regia: nullæ illi in victu delitiæ, nulla mollities in moribus, nulla

(D) Pſalm. 44. ℣. 15.

nulla in veſtitu luxuria. Filiorum educationi ſedulò intenta, non ſolùm alienis pedagogorum, Sapientumque Magiſtrorum; verum etiam, (E) Eccleſiaſtici monitu, proprijs erudiendos credidit præceptis, imò, & regijs manibus plectendos, ut quos natura, Corpore, & forma doctrina, moribus, & animo efficeret quàm ſimilimos. Cubicularios autem quamquam clariſſimos, & ſpectabiles incolumis vitæ integritate ſermonis modeſtia, uſusque omnis honeſtate inſtruebat; foris verò tam proprios, quam exteros, publicis exemplis, ſanctiſſimisque operibus, mirificè componebat, & ad omne virtutis ſtudium informabat.

Altiùs evecta, pietatem induit erga Deum prudentia: cum AMALIA doctrinæ rationem, eruditionis modum, omnisque vitæ diſciplinam in eo maximè ſitam duxit, ut ſumma charitate, Sanctoque timore cultus, honor, & reverentia Deo debitus exhiberetur. Enim verò diù noctuque animum illi demiſiſſimè fundebat: diù manè diluculo vacans orationi ad clepſidram, Sacrum deinde non ſemel cum omni prole flexis genibus audiens: ædes Sacras, publicaque Templa frequenter, & devotè, pedes ſepè, & ſine comitatu inviſens: inibique omni-

(E) Eccleſiaſt. 7. ℣. 25.

omnibus diebus festis Angelorum ESCA, se publicè communiens: noctu verò Marianum Psalterium, aliasque pijssimas præces Sanctissimæ Deigenitrici, cum tota familia constantissimè recitans.

Induit etiam Misericordiam: AMALIA enim, quantum victui, vestitui, luxuique detrahebat, tantùm in miseros largissimè profundebat: itaque pauperes elemosinis, infirmos cura, peregrinos hospitio, pupillos tutela, viduas auxilio, egenosque cæteros omni officiorum genere sublevabat. Erat equidem Regalis Aula, jactatis fortuna portus, desperantibus solatium, famelicis horreum, & calamitosis omnibus tutissimum perfugium: Nec tamen his quam maximis animo satiata rebus, duas domos Caiete aliam, aliam Neapoli, pro puellis ab omni periculo avertendis magnificè construxit, munificentissimèque dotavit. Quo pacto gentes, quas Invictus CAROLUS, armis profligavit, illa beneficijs illigavit: subditos, quos ille animo vicit, ipsa humanitate vincit: & regnum, quod ille potentia recuperavit, ipsa virtute superavit.

Hæc autem intuitus CAROLUS, quam quam illi est penè divina Sapientia: inaudita rerum gerendarum dexteritas summum gra-

vissi-

vissimumque in omni negotiorum genere judicium, nullus quidquam in rebus etiam publicis insciâ cogitavit AMALIA: nullus quidquam illa moliebatur inconsulta: nullus quidquam sine illius solerti perfecit concilio. Perfecit profectò omnia, etsi maximis implicata difficultatibus, ea præsertim, quæ suavissimi consortij tempore aggressus est. Quæ quidem ego, nisi magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit, ámens sim. In his verò ampliorem mihi utriusque laudem fuisse videtur: quod vi imperium Syrenis recentèr conquisitum, ea tempestate, qua tota ferè Europa, incumbebat ad arma justitia illi, æquitate, virtute, sapientia, bonitate, non solùm sibi; verùm etiam posteris innoxia pace, jucundaque tranquilitate stabilierint.

Sed tamen, nisi fallor sunt majora AMALIÆ: in his porrò rebus dilectissimus noster CAROLUS, suo jure maximam sibi vendicat partem, fortunæ alij, quæ prosperè gesta, ut plurimum ducit sua, non minimam tribuent: alij potentissimi Patris, tenerrimæ memoriæ auxilijs: suffragijs, alij fratrum, germani, & Consanguinei; alij verò cum amicis, & fœderatis, CAROLO etiam detrahentes gloriam communicabunt. Quod autem ante hac inau-

ditum,

ditum, mirandum ſanè omnibus, poſteritati etiam incredibile: in quo AMALIA Socium habuit neminem: in quo totum quod maximum duco ſuum eſt. In quo neque ipſe CAROLUS, neque fortuna rerum humanarum domina, quidquam illi gloriæ imminuet: quod non ſolùm noſtris; ſed penè omnium literis, ac laudibus celebrabitur: nec ulla unquam diuturnæ ætatis obſcurabit oblivio: id mihi ſemper viſum fuit, quod proximis annis vidimus, audivimus, & hodiè dum obſtupeſcimus.

Cum primùm CAROLUS ille FRIDERICUS PRUSÆ REX, ferale Martis fulmen, inflamatus ira, horrido bello, univerſum penè Orbem incendere decrevit, illicò fulminavit in Saxoniam. Nuntiatum illi fuerat per indicium Ungariæ Reginam, Francorum Regem, aliosque potentiſſimos Dinaſtas fœdera in ſui perniciem pepigiſſe: ille autem, ut eſt rei ſolertiſſimus bellicæ continuò delectus fecit, conſcripſit Legiones, inſtruxit Copias, magnumque Exercitum, cum omnibus rebus, quæ ad bellum gerendum pertinerent comparavit. Animo inſtituit Boëmiam invadere, eamque ſuo Imperio ſubdere; verùm cum eò ſibi pertingere non liceret, niſi per Saxoniæ fines, quam ab Arcto neſpicit: Legato ſuo præcepit

nuntiare FRIDERICO AUGUSTO, ut per ſuam ditionem iter faciundi poteſtatem daret; ſin minus vi illum coacturum, uti pateretur: integramque Provinciam, toto belli tempore tanquam obſidem concederet, & quod multò pluris eſt, id ſibi juſtum, æquumque fore, omnibus, Imperij Romani ſtatibus, alijsque Primoribus, publicis literis, perſuadere tentavit.

Verumenim verò, cum jura cedant armis, atque in ipſo belli ſtrepitu, tubarumque clangore, etſi clamitent, non audiantur, negata ſibi facultate itineris, vel quod pactis adverſaretur cōvētis, vel quod inimico animo milites ab injuria,& maleficio temperaturos non exiſtimabat AUGUSTUS, ſubitò, in illum impeditum, atque inopinantem immenſa Copia militum irruit FRIDERICUS: parvoque Exercitu, poſt cruentum obſidione ſuperato prælium, atque in deditionem, honorificè tamen permiſſo totam ſubegit Saxoniam.

Ingreditur Dreſdam Principem Civitatem, ubi AUGUSTI CONJUX cum aliquot filijs, quaſi tuto ſe receperat: illa tamen deſpicatui habita, ac retitente contra fas, & jus, Sacra reſeravit Scrinia, regiam expilavit gazam, & propè immenſa vectigaliâ extorſit ab incolis.

lis. Hæc omnia magno perculſa dolore, cernebat AMALIA chariſſimos Parentes, fratres, ac Sorores, vi oppreſſos, & penè avito ſpoliatos Imperio, quaſſatam Patriam, diremptas opes, & quod ſibi maximè dolendum, Aras, focos, Lares conculcatos, divexatos Populos, populatos agros, & verbo Univerſam Milniam devaſtatam.

Hìc autem quid AMALIÆ faciendum? Non nè potuit precibus, imò & nutibus amantiſſimum ſibi CAROLUM, cui cordi erat, magnoque in honore, ac pretio commovere, ut maximæ accedens conventioni Parentibus ſuppetias ferret periclitantibus? Ut fratres, ut amicos, ut fœderatos, quoſque ad impertiendum evocaret auxilium? Potuit utique, Potuit; ſed ó eximiam animi conſtantiam! O penè divinam mentis tranquilitatem! O modum! O prudentiam in omnibus rebus ſingularem! Non enim Patriæ, non Parentum amore illecta, non injuriarum vulnere ſaucia, non invaſoris juſta indignatione laceſita, non iniquitatis odio commota adduci valuit, ut quidquam de vindicta cogitaret.

Quid ni igitur? Non ne ipſa natura duce, vim vi repellere, injuriam propulſare, ulciſci, vindicari, & à ſceleratis pœnas licèt re-

petere? Liceat, liceat alijs, maluit tamen illa justissimè Domus, Patrijque oblita Populi, illorum calamitatem patientèr tolerare, quàm illam proprio Regno inferre; Sanctamque pacem, cum iniqua strage, cædibus, alijsque belli malis commutare: maluit sanctissimè inulta pati, quàm vindex etiam inimicum lœdere: maluit sapientissimè vindictam exercituum Domino commitere, quam summis viribus commendare: maluit religiosissimè confidere in Domino, quàm in Principibus sperare. O sapientissimum Consilium! O REGINÆ Catholica resignatio! O solers Christiana Prudentia! Ubi justitia vicit pietatem: vicit constantia timorem: vicit dolorem religio: & omnia duxit Prudentia.

Conduxit etiam virtutes cæteras. Hic autem Auditores vellem initium caperet Oratio; sed quamquam tempus instat, verbaque me deficiunt, dicam perstrictìm vobis de aliquibus virtutibus, quem modum tantum illis imposuit Prudentia. Vereor tamen, ut hoc, quod dicam, non perindè intelligi possit auditu, atque ut ego ipse cogitans sentio. Non obscurum, aut difficilè; sed per vulgatum est, atque illustre, virtutes omnes in quodam rationis medio, vitiorumque confinio esse locatas.

Vir-

Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum. AMALIA verò eas poſſedit in ſummo; atque in illa uſque ad extremum eas perduxit Prudentia, adeò quidèm, ut vitiorum metas pertingere videretur. Idcircò ſi illam ſolertèr, ſi officiosè, ſi ſolicitè, omni cura, contento ſtudio, victui, ſplendorique detrahentem videretis, non, ut erat, ſanctiſſimè æconomam, egenorumque tutricem; ſed avaram, ac tenacem crederetis. Si verò illam in miſeros, quæ luxui, faſtuique dempſerat, largiſſimè profundentem, non munificem, non miſericordem, ſed verè prodigam diceretis. Si injurias ſibi, ſuisque illatas, conſtanter æquò animo ferentem, non manſuetam, non fortem, ſed ſtupidam, ac penè inſenſatam judicaretis. Si legibus factas, bonoque publico adverſantes magno zelo vindicantem, non juſtam, ſed crudelem. Si ſceleratorum pœnas temperantem, punitionem delictorum abhorrentem, non piam, non clementem; ſed iniquam. Si demum ſubditos præſertim calamitoſos, ac deſpectos humaniſſimè excipientem, mitiſſimèque ſolantem: ſi res ſacras, quàm demiſsè venerantem, adeò certè ut linteola ad ineffabile Sacrificium conficiendum, proprijs ipſa tergeret, ac mundaret manibus, veſteſque acu depingeret, non

mag-

magnificè humilem, non religiosam, non Sanctam; sed vilem, atque abjectam duceretis.

Plura adhuc vobis summa, nostroque sæculo innaudita referrem, Auditores; sed cum neque mihi, neque alij tantum sit ingenij fulmen, tanta vis, & Copia dicendi, aut scribendi facultas; ut ea dignè pro ipsa re, pro authoritate loci, pro auribus, & sapientia vestra, valeat exornare, ad illam ipsam demùm confugio. TU, TU AMALIA Charissima, & ea, quæ humana mens agere non capit, & à te gesta, graphicè admodùm, etiam cùm non valeres, describere valuisti. Ultimum illius elogium, si fortè ad manus pervenerit, attentè oculis perlegite, Auditores, elogiumque ipsius ultimum epithomè, encomij, præconijque compendio demirabimini.

In eo sanè velut in quodam mentis speculo, vitæ imaginem, ut ajebat moriturus Seneca, hoc est virtutum omnium, quàm vividis descriptam coloribus conspicietis. Inibi pura fides nitet, cum in præfatione catholicam amplexata testatur se retinere morituram. Spes firma præfulget dum in Cœlum consensuram se credidit, & in domo Domini bonam habituram mansionem. Charitas rubet flagrans erga Deum, qua animam illi libentissimè committit:

mitit: erga proximos, qua testatur pro illis, se ennixè præcaturam: Religio, cum preces Sacras funerum, hostiamque immaculatam pro piaculo animæ recitari, identidemque offerri deciderat, MISERICORDIA, cum pauperibus, pupillis, viduis, Nosocomijs, Paræcijs alijsque pijs operibus, propè immensam gazam, pro necessitatibus largiri jubet sublevandis. PIETAS, cum filijs, fratribus, sororibus, omnibusq́ necessarijs mundum muliebrem, regiaque munera, mira dispositione relinquit. CONJUGALIS AMOR, atque PRUDENTIA, cum dilectissimum CONJUGEM, bonorum suorum, hoc est virtutum omnium exasse hæredem dicit, ut per illum velut per purissimum traducem, ex æquo ad omnes filios perveniant, Demùm incredibilis atque inaudita *CASTIMONIA*, cum egregia HUMILITATE collucet, cum Regale Corpus, paupere Carmelitarum habitu, inferri jubet: dissecari verò, atque aromatibus inungi, & pro regio more condiri, penitùs interdicit. Nè fortè, quem ipsa solers in vita fuerat ingenuus pudor, custodita aliorum oculis, post cineres fœdaretur invita.

Verùm his auditis, dum maximè lenitur animus, quasi refricato vulnere, recrudescit do-

dolor Excellentiſſime Princeps: cum infandam jacturam, deplorataque bona in memoriam revocemus. Sed qui compatimur, neceſſum eſt, ut & conglorificemur. Itaque erigatur animus: quia AMALIAM noſtram in Cœlo piè collocatam credimus: ubi facie ad faciem, ennixè á DEO OPTIMO MAXIMO deprecabitur, CAROLUM ſuum nobis ſervet incolumen pro ſalute Reipublicæ, pro utilitate Eccleſiæ, pro noſtro omniumque Regni ordinum ſolatio, ac protectione, qui omnes ab ipſo DEO, identidem orabimus, Requiem illi donet Sempiternam,

REQUIESCAT IN PACE.

